Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2179
Quelle:
Copyright:

initium: *Ich n. Bischoue zu n. Gelob vnd swer auf das heilig Ewangelium. Das Ich leiblich berüre. Daz ich nu hinfür von diser stund getrew hold gehorsam vnd gewertig sein sol vnd wil Ew. Allerdurchleuchtigisten Fürsten vnd herren Hern Friderichn Römischen keyser* &c

DCCCCIX.

H. 3 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 105. 12. bene perscriptus, picturisque speciosis passim insignis, inter quas Icones XII. majores varia Religionis Mysteria vivide repraesentantes, et diversorum corporum naturalium perita exhibitio, *Horarium* est, cui insunt per Hebdomadem dispositae Horae de S. Trinitate, pro Fidelibus Defunctis, de S. Spiritu, de omnibus SS. de S. Sacramento, de S. Cruce, et de B. V. *Maria* His accedunt: Missa de Eadem, Ejusque Horae *secundum usum Rome;* has vero Calligraphus tantum usque ad *Tertium* perduxit. Comparet in earum Frontispicio Scutum argenteum trifasciatum rubro, fortasse Possessorem e *Croyorum* Domo designans.

DCCCCX.

C. 995 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 179. 4. min. elegantissime exaratus, literis initiorum deauratis, coloratisque, marginibus omnibus vario animalium, plantarum, monstrorumque, quae risum moveant, ornatu consperfis, et praeter Icones minores grandibus XIV. a praestanti penicillo speciosus, quas inter Salvatoris Effigies *fol.* 14. in admirationem rapit, *Horarium* est, geminum iis, quod ad calamum et penicillum adtinet, quae *Codd.* DCCCCLXXXVI. et LXXXVIII. retulimus. Initium a *Calendario* ducitur hominum occupationibus adpictis visendo, in quo purpurati *Vincentius*, *Amandus*, *Eligius*, *Aegidius*, *Bavo*, *Dionysius*, *Donatianus*, ut discas *Belgium*. Succedunt Horae de Cruce, de S. Spiritu, Missa de B. V. M. Initia IV. Evangeliorum, Horae de Beata, Psalmi *de Poenitentia* cum Litaniis SS. Vigiliae Mortuorum, et Commemorationes variorum Coelitum. Per illustrium Possessorum manus iviisse praesens *Horarium*, argumento sunt, quae variis temporibus ei inscripta leguntur. Ita in theca anteriore: *En vos bonnes prieres se recommande Celuy qui votre bonne grace demande. De Lalaing. Fol.* 157. p. 2. *Affin que Je soye de Vous recommandé, acceptez bonne Dame cest mis cy en escript. Votre vray bon mestre Charles*, quem Imperatorem V. fuisse non dubito. *Fol.* 165. *Tant quen ce monde viueray, parent et amy Vous serai. Croy.* Et theca postica: 1543. *Forte fortune forte. Rogendorff.* Et infra recenter: *R. J. de Calonne du Quesne.* Thecae argento deauratio asperae impressum: *Ob laudem Chri-*